

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2020-2021

À rendre avant le mercredi 16 septembre (casier au DSA)

Version latine n°1 : l'haruspicine pour les nuls

[...] profecto hominibus a dis futura significari necesse est. Sed distinguendum uidetur, quonam modo. [...]

Hoc autem posito atque concesso, esse quandam uim diuinam hominum uitam continentem, non difficile est, quae fieri certe uidemus, ea qua ratione fiant, suspicari. Nam et ad hostiam deligendam potest dux esse uis quaedam sentiens, quae est toto confusa mundo, et tum ipsum, cum immolare uelis, extorum fieri mutatio potest, ut aut absit aliquid aut supersit ; paruis enim momentis multa natura aut adfingit aut mutat aut detrahit. Quod ne dubitare possimus, maximo est argumento, quod paulo ante interitum Caesaris contigit.

Qui cum immolaret illo die, quo primum in sella aurea sedit et cum purpurea ueste processit, in extis bouis opimi cor non fuit. Num igitur censes ullum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse ? Qua ille rei nouitate <non est> percussus, cum Spurinna* diceret timendum esse, ne et consilium et uita deficeret ; earum enim rerum utramque a corde proficisci. Postero die caput in iecore non fuit. Quae quidem illi portendebantur a dis immortalibus, ut uideret interitum, non ut caueret. Cum igitur eae partes in extis non reperiuntur, sine quibus uictuma illa uiuere nequisset, intellegendum est in ipso immolationis tempore eas partes, quae absint, interisse.

Cicéron

*Nom de l'haruspice.